

si sit sermo de servitute Dei connaturali homini titulo creationis, certum est Adamum etiam ante peccatum fuisse Dei servum. Video responderi posse, his quidem verbis præcise excludere Concilium servitute peccati, non tamen inde sequi in tota epistola loqui de sola illa, nam etiam ibi excludit a Christo servitute respectu aliorum hominum et respectu Angelorum, et tamen non de illis solis loquitur, sed discurrit per singulas, ut ita concludat nullam servitute propriam in Christum convenire; nam, licet illa enumeratio necessaria non esset, ad amplificandum sermonem et ad exaggerandam Christi dignitatem fieri potuit. Quæ responsio (ut verum fatear) multum enervat vim prædictorum verborum, saltem ut non cogamur dictam expositionem admittere, non tamen ut cogamur eam repellere. Accedit quod cum Concilium in ea enumeratione nunquam enumeret aliam servitute respectu Dei ortam ex titulo creationis, sed semper insinuet servitutes quæ vilem conditionem et pœnalem indicent, adhuc relinquitur probabile argumentum, in ordine ad Deum non agere Concilium, nisi de servitute ex peccato contracta. Quod potest quarto confirmari ex illis verbis, quæ in epistola etiam Adriani leguntur: *Nos per illum adoptivi sumus, non ille nobiscum adoptivus; nos per illum a servitute liberati, non ille nobiscum servus.* Non sumus autem nos per Christum liberati ab illa servitute Dei, quæ nobis est intrinseca et connaturalis, sed a servitute quam ex peccato contraximus; ergo hoc modo negatur Christus esse nobiscum servus. Quinto addi potest conjectura, quia de hoc genere servitutis verum habet, quod Adrianus sæpe dicit, Christum esse a Prophetis vocatum servum per tropum et figuram, quia assumpturus erat carnem in similitudinem carnis peccati, et subiturus pœnam peccatis debitam, factus obediens, et humiliatus usque ad crucem. Quamvis etiam illa testimonia Scripturæ aliam patiantur expositionem, tamen, quia accommodari etiam possunt ad hanc servitute, ideo secundum illam non proprie, sed per metaphoram et similitudinem dicitur Christus hoc modo nominari servus. Solum relinquebatur in hac expositione declarandum, Elipandum hoc sensu appellasse Christum servum; hoc enim satis videtur incertum; sed nihilominus fiet aliquo modo verisimile in ultima interpretatione Concilii. Est ergo hæc expositio probabilis, quam solam ego in priori editione adhi-

bui, sed nunc non videtur simpliciter necessaria, nec per se sola sufficiens, quamvis fortasse sit etiam vera, ut in sequentibus declarabo.

47. Sexta ergo expositio est, Concilium non negare, Christum cum determinatione, in quantum homo est, posse dici servum, sed simpliciter et sine ulla determinatione prolatum. Ita enim fere loquuntur Adrianus et Concilium in suis epistolis; et suaderi potest, nam hoc modo fit verisimile quod Adrianus ait, in Scriptura Novi Testamenti non appellari Christum servum, scilicet absolute et sine addito, nam cum determinatione humanitatis, vel expressa, vel subintellecta in verbis antecedentibus aut consequentibus, satis videtur in superioribus probatum, etiam in Novo Testamento sæpe fuisse significatam servitute Christi ut hominis. Neque contra hanc expositionem multum me movet, quod interdum in illo Concilio additur determinatio, *secundum humanitatem*, quia non est necesse quod illa determinatio intelligatur adungi ex parte naturæ, sed ex parte suppositi, scilicet, ut designetur suppositum in tali humanitate subsistens. Et hunc sensum esse magis a Concilio intentum, constat ex dicendis hic et latius infra, q. 23. Nihilominus tamen hæc expositio per se sola non mihi satisfacit, tum quia existimo Concilium non tantum de modo loquendi, sed etiam de ipsa re tractasse ac definivisse; tum etiam quia, eo modo quo est verum Christum, in quantum hominem, esse servum, non est certum et de fide, etiam sine ullo addito, non posse sic appellari; si tamen hæc expositio cum his quæ dicemus adjungatur, aliquid verum continet, ut patebit.

48. *Quæstiuncula solutio.* — Vera ergo intentio Concilii ex sensu erroris Elipandi sumenda est, nam solum illum errorem directe damnare intendit; Elipandus autem, ut opinor, re ipsa Nestorianus fuit in eo errore quem de Christo habuit; distinxit enim illum a Filio Dei naturali, non tantum natura, sed etiam supposito; et hoc sensu dixit illum esse servum, id est (ut ita dicam) purum servum, et nullo modo filium; ideoque addebat ex servo factum esse filium per adoptionem; in contrario ergo sensu docet Concilium, Christum non esse servum, sed, etiam ut hominem, id est, ut subsistentem in humanitate, esse supremum dominum, ipsumque Filium Dei naturalem. Quod autem Elipandi error hic fuerit, ex variis historiis, et signis, ac conjecturis ostendemus infra, q. 23. Nunc,

quod ad historiographos attinet, sufficere verba Joannis Mariani, et in inquirendis antiquitatibus diligentissimi, et in rebus ac disputationibus theologis versatissimi. Ille ergo, lib. 7 suæ histor. de Reb. Hispan., c. 8, sic scribit: *Nestorii placita Concilii prædem Ephesini diligentia sopita, quasi veteris incendii scintilla in Hispania, illis auctoribus (scilicet, Felice et Elipando) suscitata sunt, Christum affirmantibus, qua parte certe homo est, Dei filium adoptione esse, etc.* Deinde ex epistola totius Concilii hoc licet colligere ex illis verbis, quæ habentur col. 6: *Neque vero alium Jesum Christum, alium Verbum dicemus, ut nova hæresis calumniatur.* Et infra, adducens locum ad Hebr. 3: *Amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus: Quomodo (inquit) amplioris gloriæ, si servus sicut et Moyses, vel ex servo adoptivus? ubi considero primum verbum, sicut et Moyses, id est, purus servus, et solum per adoptionem filius.* Deinde considero verba illa, *ex servo adoptivus*; hæc enim verba manifeste indicant suppositorum distinctionem. Quod clarius inferius declaratur illis verbis: *Sed nescio ex quo servo adoptatus in filietatem, ut vos dicitis.* Dicebant ergo isti, Christum hominem prius, vel natura, vel fortasse etiam tempore (ut sæpe in illo Concilio insinuat), fuisse quemdam servum, et deinde fuisse factum filium Dei per adoptionem; ergo errarunt in sensu explicato; ergo in eodem, et non in alio damnavit Concilium hunc errorem. Unde omnes probationes ejus ad hoc præcipue tendunt, ut ostendant hunc hominem Christum non esse alium a Filio Dei, et ex utero Virginis fuisse verum Filium Dei naturalem, et non servum, servitute, scilicet, excludente hanc filiationem, atque adeo purum servum, ut nos sumus. Et hoc modo ait Adrianus in sua epistola: *Opus nostrum est ut simus servi per conditionem, et filii per gratiam adoptionis, opus ejus est ut sit unicus, proprius, et dilectus Filius Dei.* Atque hinc fortasse ortum est, quod hæc duo, scilicet, affirmare Christum esse servum et adoptivum, non referantur et notentur in Felice et Elipando ut duo errores, sed ut unus, quia eandem habuere radicem et connexionem in eodem principio, scilicet, quod hic homo Christus, ut conceptus de femina, non fuit verus et naturalis Dei Filius, nec sanctus ex vi suæ conceptionis; ex quo plane sequebatur, illum et ex se esse omnino servum, et filium solum per adoptionem. Unde illud fundamentum est, quod præ-

cipue evertitur in toto illo Concilio. Accedit tandem vehemens conjectura, quia, si Elipandus dixisset Christum, ut hominem, esse servum solum propter assumptam naturam servilem, licet fateretur, et suppositum assumens esse verum Deum, et assumptionem per veram unionem hypostaticam factam esse, in re nihil dixisset contra veritatem mysterii incarnationis, et in modo loquendi ab antiquis Patribus non discordasset; cur ergo propter eam locutionem posset ut hæreticus damnari, et tam acerbè reprehendi? maxime cum Adrianus fateatur, Ambrosium, ad exprimentam in Christo naturæ humanæ veritatem, interdum Christum, ut hominem, servum appellasse. Neque enim tenebatur Elipandus credere aut scire unionem hypostaticam excludere a Christo, ut homine, omnem veram servi appellationem, aut ab humanitate omnem conditionem servitutis respectu Dei, quia neque hoc verum erat, neque, si fuisset, tunc erat in Ecclesia declaratum; imo nec Adrianus aut Concilium Francoford. hoc unquam declararunt. Quod etiam est signum, non in eo sensu, sed in alio, quem diximus, rem hanc tractasse ac definivisse.

49. *Quis fuerit Elipandi error.* — Atque hinc ulterius fit verisimile, Elipandum, non solum asseruisse Christum, ut hominem, esse purum servum Dei, sed etiam ex se fuisse obnoxium cuicumque vili servituti, etiam peccati, quia, si semel concipiatur ut purus homo, facile est, hæc et similia de illo sentire. Unde in verbis Elipandi, quæ partim ex ejus confessione supra retulimus, partim in discursu illius Concilii indicantur, multum significatur, tam in ratione servitutis quam adoptionis, nihil amplius de Christo quam de cæteris hominibus sensisse, quod fortasse etiam indicare voluit, appellando Christum leprosum; potius enim ab spirituali quam a corporali lepra appellationem illam sumpsisse videtur. Item ob hanc causam magis admiratur Adrianus, graviusque illum reprehendit, quod Christum appellaverit servum, quam filium adoptivum, quod certe sine causa fecisset, si Elipandus in alio sensu locutus fuisset, cum Sancti communiter vocent Christum, ut hominem, servum, non autem adoptivum. At vero in dicto sensu jure admiratur quod servitute, etiam ut ex peccato oriri potest, Christo attribuerit. Et forte etiam ob hanc causam sæpe declaratur in illo Concilio, Christum, non solum quia Deus est, sed etiam quia ex Spiritu Sancto conceptus est, non fuisse servum,

quod est verum de servitute ut includit omnem illam imperfectionem, non vero de servitute ad Deum, quæ ex sola creatione seu effectione oritur. Quod si cui incredibile videatur, Elipandum in tam apertum et blasphemum errorem incidisse, ut crederet Christum aliquando habuisse peccatum, responderetur imprimis, si semel credidit illum esse purum hominem, facile potuisse in eum errorem labi. Deinde nobis hoc non constat, nec necessarium est hoc illi imponere, sed solum credimus asseruisse, Christum fuisse pure servum, antequam fuerit in filium adoptatus, itaque de illa servitute fuisse locutum, ac si ille homo Christus ejusdem esset conditionis et originis ejus nos sumus.

50. Atque hinc tandem probabile mihi est, ad eliminandum et detestandum hunc errorem, voluisse etiam Adrianum dicere, Christum simpliciter et absolute non esse a nobis appellandum servum; et hac ratione totis viribus conatum esse explicare Veteris Testamenti Scripturas, ut non nisi per metaphoram in eis Christus, servus appelletur; nam, licet illa testimonia possint alio modo exponi, ut a Patribus declarantur, sicut in superioribus visum est, tamen Adrianus vel noluit alia interpretatione uti, quia ea visa est accommodatior ad rem, de qua tunc agebat, ne aliquam occasionem relinqueret hæreticis abutendi in Christo illa servi appellatiōe; vel certe, si eam interpretationem aut unicam aut omnium optimam existimavit, id ad fidem non pertinet, sed ad privatam ipsius Pontificis opinionem. Et similiter, quod Adrianus ait, in Novo Testamento nunquam Christum, ut hominem, appellari servum, aut Deum dominum ejus, in aliquo sensu verum est, scilicet, has expressas appellatiōes, et sub his nominibus in Novo Testamento non reperiri, quod est certe verum, et merito fuit a Pontifice observatum ad obstruenda hæreticorum ora, qui male appellatiōe servi utebantur. Non potuit tamen negare Pontifex quin, eo modo quo in vero et catholico sensu Christus, in quantum homo, servus dicitur, æquivalenter saltem ea appellatiō in Novo Testamento reperiat, ut ex variis locis, et Sanctorum interpretationibus ostendimus. Neque est cur credamus, Pontificem voluisse hoc negare, quamvis id tacuerit, quia eo tempore ad eam causam, de qua tractabat, judicavit tunc magis expedire. Quanquam, licet in sensu et expositione illorum testimoniorum aliter sentiret, ejus expositio ad fidem non pertineret,

quia (ut sæpe dixi, et est communis doctrina) in his decretis solum pertinet ad fidem definitio intenta, seu damnatio erroris, non vero omnia quæ in causæ discussione vel probatione afferuntur. Atque hæc sunt quæ dicenda occurrunt de sensu illius definitionis, et totius doctrinæ illarum epistolarum Adriani, et Concilii Francford., quæ magis confirmantur ex his quæ de adoptiōe inferius dicemus.

51. Unum vero hic adjicere non omitam (quod, quæso, lector animadvertat), non commendari, sed detrahi potius auctoritati Adriani et Concilii, si dicamus voluisse damnare locutionem illam, in eo sensu quo ab innumeris Patribus asseritur, nullo vel ex Scripturis sacris, vel ex aliis principiis fidei adducto fundamento. Existimare autem eos motos fuisse ad damnandam illam sententiam, quæ nunc ab Scholasticis docetur, aut Elipandum in eodem sensu, ex sola illa ratione, quod unio hypostatica excludat servitutem, propter communicationem honorum quam inter Deum et hominem facit, valde alienum est a gravitate ecclesiasticæ definitionis. Nam, licet hujus infallibilitas, non ex humanis rationibus, sed ex Spiritus Sancti assistentia oriatur, tamen Spiritus Sanctus non vult, vel ex parte sua miraculose hoc facere, neque ex parte hominum permittere ut temere fiat; et ideo nunquam infallibilis et ecclesiastica definitio fit, nisi aut ex apertis testimoniis Scripturæ, aut ex sufficiente traditione, aut certe ex rationibus ita urgentibus, ut evidens sit, quod definitur, in revelatis et antea definitis contineri. In præsentia autem hæc omnia concurrebant ad damnandum errorem Elipandi in sensu explicato; ad negandam autem Christo ut homini omnem propriam servitutem respectu Dei, ex Scriptura vel traditione nihil juvabat, nam potius docet contrarium. Ratio autem illa quam sit inefficax, satis (ut existimo) constat ex dictis. Non est ergo verisimile, in eo sensu causam hanc esse tractatam a prædictis Pontifice et Concilio.

52. *Ad Patrum testimonia pro prima sententia responsio.* — Hactenus responsum est ad primum fundamentum contrariæ sententiæ. Nunc dicendum est ad singula testimonia, quæ in secundo fundamento adducuntur. Ad primum, quod est Chrysost., respondetur eum non loqui de naturali conditione servi sed de usu et ministerio servi. Unde ex illo loco, si integre legatur, potius confirmatur

nostra sententia. Ad quod primum expendo illa verba: *Sicut servus factus est, sic et Pontifex et minister.* At Christus non putative tantum aut metaphorice Pontifex factus est, sed vere ac proprie, ut q. 22 videbimus; ergo eodem modo factus est servus. Rursus, Christus ascendens in cælum non amisit dignitatem Pontificis, neque conditionem ministri, in actu primo (ut sic dicam); nam et est Pontifex in æternum, et quantum est ex se Christus ut homo semper est aptus ad ministrandum Deo, in omnibus quæ Deo placuerint; sed, quantum ad usum, dicitur in cælo non exercere munus ministri, aut Pontificis, scilicet, quantum ad ea ministeria quæ inferioris sunt ordinis, vel ad statum viæ et carnis passibilis pertinebant. Igitur eodem modo, quantum ad conditionem humanæ naturæ, semper manet servus; tamen quantum ad usum earum actionum quibus non tantum Deo, sed etiam hominibus dicitur Christus aliquando servivisse, reliquisse dicitur servitutem. Hanc autem esse mentem Chrys. patet ab illis verbis: *Noli igitur putare, cum Pontificem eum audis, quod semper Pontificali fungatur officio, etc.*

53. Secundum testimonium erat Athanasii, cujus verba, in eodem serm. 3 cont. Arianos, satis sunt expressa in nostræ sententiæ confirmationem, ut vidimus. Quocirca in reliquis locis illius sermonis solum intendit, Christum neque esse neque posse appellari servum ratione suæ personæ, sed tantum ratione assumptæ naturæ; illa autem verba, scilicet, dici Christum, *servum appellatiōe, non veritate*, in Athanasio non reperio; quod si reperirentur, referenda essent ad suppositum, quod secundum se revera non est servus, sed in quantum homo ratione assumptæ naturæ illam suscipit denominationem. Tertium testimonium est Eusebii Emisseni, quod in his nomiliis Eusebii, quas apud me habeo, non invenio; tamen ubicunque illa verba inveniuntur, satis ex eis colligitur auctorem loqui de servitute peccati. Quod enim dixerat illis verbis: *Subvenire peccato non poterat, simili peccato obnoxius*, explicat per illa: *Nec subvenire pro servis subjectus legibus servitutis.* Et ab hac servitute et conditione, concludit debuisse esse liberum eum, qui pro aliis offerendus erat.

54. Quartum erat Leonis, de quo satis dictum est et ostensum, eum loqui de servitute peccati. Quintum erat Augustini, qui in priori comparatione Moysis et Christi loquitur plane

de puro seu omnino servo, qui ita sit servus, ut non sit etiam dominus. Et probabiliter ex eo loco et similibus colligi potest, Christum non simpliciter, sed solum cum determinatione, *ut homo*, posse servum appellari, de quo dicemus sectione sequenti. Sextum erat Cyrilli Alexandrini, de cujus sententia satis ex dictis constat. In citato autem loco aperte loquitur contra Nestorium, et in virtute contra Elipandum; et contra omnes qui *audent* dicere (hæc enim sunt verba Cyrilli), *quod ex semine Abraham hominem sibi ipsi adaptavit Deus, et communicavit illi dignitatem gloriæ et honoris ac filiationis.* Et infra: *Non enim ex homine Deus factus est Christus, ut dixi, sed Deus existens Verbum factum est caro, hoc est homo. Exinanitus vero esse dicitur, eo quod ante exinanitionem plenitudinem habuit in propria natura secundum quam intelligitur Deus; non enim ex eo quod inanis quispiam sit, ad plenitudinem pervenit* (quod aiebat Elipandus, ex quodam servo factum esse filium Dei), *sed magis ex divinis dignitatibus, et ineffabili gloria humiliavit se ipsum, non humilis existens homo, exaltatus et glorificatus.* In hoc ergo eodem sensu subdit citata verba: *Accepit autem formam servi ut liberi.* Ita enim est servus, in quantum homo, ut tamen ipsum suppositum sit liberum, et dominus omnium, unde subdit: *Non servus existens ad libertatis rediit gloriam.* Hæc enim erat propria, et fere in eisdem terminis sententia Elipandi, quæ illis verbis refutatur; nam hic revera est planus sensus verborum Cyrilli, ut ex contextu citato constat. Etenim non affirmat in hac ultima propositione, Christum non servum ad libertatis rediisse gloriam, ita ut illa particula, *non servus*, infinitanter sumatur, ut sophistæ dicunt; sed negat Christum prius fuisse servum, et per incarnationem, ad quamdam gloriæ participationem fuisse assumptum, quod Nestorius aiebat: Et hoc ipsum est quod subdit: *In similitudine hominum factus est, qui in forma, et in Patris æqualitate* (supple, erat); *non homo existens, ut fieret in similitudine Dei, secundum participium locupletatus est*; ubi non affirmat Cyril. Christum fuisse secundum participium locupletatum, sed potius negat Christum fuisse hominem secundum participium locupletatum, ut fieret in similitudine Dei; quia potius fuit ipse semet Deus in similitudinem hominum factus, ut proxime antea dixerat.

55. *Damasceni difficile testimonium explanatur.* — Septimus erat Theodoretus, in cu-

jus verbis nulla vis fieri potest, quia Nestorianus erat, cum illa scripsit; et in eodem loco ait, quod formatum est in ventre Virginis, non fuisse Deum Verbum, sed servi formam, id est, servum hominem, quod aiebat Elipandus. Cum ergo dicit, post unionem cessasse servitutis nomen, appellatione tantum intelligit, eo modo quo Nestoriani aiebant hominem Christum vocari Deum. Solus Damascenus aliquid negotii nobis facessit. Cujus sententia, si communi sententiæ Patrum contraria existeret, non esset certe illi præferenda. Præsertim quia ratio, qua Damasc. utitur, parum momenti habere videtur; sic enim colligit: Servitus est ex his quæ dicuntur ad alterum; si ergo Christus est servus, alicujus erit servus; sed Christus nullius est servus. Quod probat, quia non est sui ipsius servus; ergo nec Patris; ergo nullius. Qui discursus in eadem forma fieri posset de appellatione subjecti, nam ex illo sequitur, Christum non esse subjectum: nam etiam subjectio est ex his quæ ad alterum dicuntur; sed Christus non est subjectus sibi, quia hoc est dividere personam ejus, ut dicitur in Concilio Ephesino, in epist. ad Nestorium, quæ est 10 Cyrilli; ergo neque est subjectus Patri; alias non omnia, quæ habet Pater, haberet Filius; ergo nulli est subjectus. Et constat Christum, vel simpliciter, vel saltem ut hominem, vere dici subjectum, ut supra ostensum est. Sicut ergo de relatione et denominatione subjecti dicendum necessario est, Christum hominem esse subjectum Patri, sibi autem ipsi non dici subjectum, non quia aliquid subjiciatur Patri quod non subjiciatur Filio, ut Deo, sed propter distinctionem personæ, quæ in illa locutione absolute prolata indicatur; unde cum addito vere dicitur Christus ut homo subjectus sibi ut Deo; ita dici poterit de relatione servitutis; non ergo apparet efficax ratio Damasceni. Vel certe, si e contrario ex ratione auctoris colligendus est ejus sensus, alterum e duobus dicendum est. Primum est, Damascenum, ad summum, docuisse Christum non esse simpliciter servum nominandum; hoc enim probabiliter suadet illa ratio, non vero cum determinatione in quantum homo, cum, illa adhibita, vere dicatur Christus, in quantum homo, servus sui ipsius, ut est Deus, neque sit inconveniens eundem esse sui ipsius servum secundum diversas naturas. Secundum est, Damascenum eodem sensu negasse Christum esse servum, quo id negavit Adrian. Papa. et quo id affirmabant

Nestoriani, et postea Elipandus, scilicet, quod Christus sit omnino aut purus servus. Et hoc modo exposuit Damasc. D. Thom. hic, articulo secundo, in corp., et ad primum. Quare, cum de humanitate Christi Damasc. ait: *At cum semel ei personaliter unita sit, quoniam jam pacto in servilem classem redigetur?* per *servilem classem*, nihil aliud intelligendum puto, nisi existentiam in servili persona, seu constitutionem ejus, qui ex se sit pure ac simpliciter servus. Et in hoc sensu bene probat ratio Damasceni Christum non esse servum sui ipsius, et appellationem servi in hoc sensu dividere Christi personam.

56. *Ad Scripturæ loca pro prima sententiæ responsio.* — *Ad rationes primæ sententiæ.* — Tertium argumentum ex Scripturis, quod negativum tantum erat, satis est ex dictis solutum, cum ostenderit in Veteri Testamento reperiri, et in Novo satis insinuari. Quid vero ad Adrianum, qui aliter ea loca interpretatur, responderi possit, jam diximus. Alia vero loca Damasceni ibi citata non recte exponi, et quis sit eorum sensus, inter confirmandam nostram sententiam ex Novo Testamento declaravimus. Denique quoniam modo etiam in aliis locis ibi citatis distinguatur Christus ab aliis servis Dei, jam etiam diximus, distingui, scilicet, ut a pure servis. Ad quartum ex rationibus respondetur. Ad primam negatur consequentia, quæ ex adoptiva filiatione fit ad servitatem. Ratio autem a D. Thoma citatis locis redditur, quia filiatio respicit solam personam; servitus autem etiam naturam. Sed est ratio difficilis, præsertim quia idem D. Thomas hic, art. 1, ad 2, dicit, etiam naturam non dici proprie dominam aut servam, sed personam secundum naturam seu rationem naturæ. At idem est de filiatione; nam, licet natura etiam non dicatur filia, tamen persona secundum illam, seu ratione illius, dicitur filius; ergo quoad hoc parva aut certe nulla est differentia. Addendum ergo est, adoptionem dicere, non quæcumque filiationem, sed talem quæ repugnet supposito divino, etiam in assumpta natura, quia intrinsece requirit personam extraneam, dicitque filiationem omnino ab extrinseca benevolentia provenientem; et hac ratione includit negationem repugnantem divinæ personæ, ut late q. 23 videbimus; at vero relatio servitutis non requirit nec connotat necessario aliquam imperfectionem vel negationem repugnantem divinæ personæ secundum se, et maxime si non simpliciter, sed cum deter-

minatione assumptæ naturæ ei attribuat.

57. Ad ultimam rationem concedo imprimis, ad propriam servitatem non sufficere solam obedientiæ subjectionem, quamvis certe Isidor., lib. 2 de Propr. ser., n. 5, servitatem nihil aliud esse dicit, quam necessitatem serviendi; obedire autem, servire est; si ergo obedientia ex necessitate nascatur, servitus dici potest, aut certe servitatem supponere; Christus autem ut homo ex necessitate seu debito obedire debuit; potest ergo illa dici quædam servitus; et ita videtur loqui D. Th. hic. Sed, esto aliquid amplius ad servitatem requiratur, illud certe non est negatio communicationis in bonis, in qua totus discursus rationis illius fundatur, qui a nobis satis refutatus est, quia communicatio non impedit servitatem, nisi ad æqualitatem perveniat, quæ in Christo quidem simpliciter reperitur, non tamen in Christo ut homine, ut satis declaratum est. Unde retorqueri potest argumentum, quia Christus ut homo non est supremus dominus, vel aliarum rerum, vel suæ humanitatis, vel suarum actionum; ergo ut sic est sub supremo domino; atque adeo est servus ejus. Si quid ergo stricta servitus ultra subjectionem addit, solum est quod non solum is, qui servus dicitur, alteri ut superiori parere tenetur, sed etiam quidquid est et habet, sub illius dominio et potestate existit; ideoque eum ut dominum revereri ac colere tenetur; loquimur enim de rationali servo. Hæc autem conditio vere convenit Christo ut homini, ut per se constat, et nihil derogat divinitati ejus, magis quam quod, ut homo, sit a Deo conditus, et a Deo pendeat in omnibus, tam physice quam moraliter, ut sic dicam.

58. Ad replicam autem in illa ratione insinuatam, scilicet, quod hæc conditio reperiri potest in subdito non servo, negatur assumptum, quia, hoc ipso quod aliquis est omnino sub dominio et potestate alterius, et in omnibus tenetur illi parere, et dominus illo uti potest pro suo arbitrio in omnem usum, est vere ac proprie servus. Unde, si inter homines fingamus patrem habere omnem hujusmodi potestatem et dominium in filium naturalem, ille esset servus; tamen, sicut pater non haberet illam potestatem a natura, sed ex aliquo pacto vel jure positivo, ita talis filius non esset servus patris naturali servitute, sed humana vel civili, quæ introducta quidem non est, non repugnat tamen excogitari aut introduci; neque etiam repugnat eundem esse naturalem filium et servum civi-

lem; tunc autem, quamvis in illo filio maneret radicale jus, ut sic dicam, ad bona patris, vel potius fundamentum, quod a natura habet ut patri succedat in bonis, si aliunde non impediatur, tamen proxime non haberet morale civile jus ad hæreditatem paternam, quia ex vi servitutis posset hoc jure privari; tamen, quia hoc non est consentaneum naturali juri nec illi conjunctioni et æqualitati naturæ et originis, quæ est inter patrem et filium naturalem, ideo talis servitutis modus non est positivo jure introductus, neque permissus.

59. *Tacitæ objectioni satisfi.* — Et hinc responderi potest ad objectionem, si in hunc modum fiat: Nam servo repugnat habere conaturale et intrinsecum jus ad bona et hæreditatem domini, propter quod, ut supra dicebam, etiam jure civili, statim ac servus adoptatur in filium, desinit esse servus, quia incipit habere jus ad hæreditatem, quod repugnat servituti; sed Christus, ut homo, habet intrinsecum et naturale jus ad divinam hæreditatem; ergo non potest ut sic esse servus. Unde etiam Joan. 8 dicitur: *Servus non manet in domo in æternum.* Sed ad hoc testimonium jam supra diximus ibi esse sermonem de servitute peccati. Ad argumentum vero, primum in genere dici potest, habere jus ad bona domini, quæ sint omnino eadem vel æqualia cum his quibus dominus fruitur, fortasse repugnare servituti; habere tamen jus ad quamdam participationem illorum bonorum, cum quadam subordinatione et dependentia a domino, non repugnare servituti naturali. Hac enim ratione, inter alias, quamvis humana servitus per adoptionem tollatur, divina vero non tollitur per divinam adoptionem, ut supra dixi; quia, nimirum, filii adoptivi, licet recipiant jus ad hæreditatem Dei, non tamen cum æqualitate, neque ut in ea sint aliquando supremi domini, sicut suo modo filius adoptivus hominis futurus aliquando est in hæreditate patris. Christus autem, in quantum homo, licet habeat jus conaturale ad hæreditatem, non tamen secundum æqualitatem, sed secundum participationem cum subordinatione et dependentia a Patre et domino. Addenda deinde est differentia inter servitatem humanam et divinam; nam respectu Dei servitus quæ præcise oritur ex potestate quam Deus habet in suam creaturam, est intrinseca et connaturalis; ex quo fit imprimis ut separari non possit; deinde etiam fit ut nullam vilem conditionem, ut sic dicam, in creatura requirat, præter intrinse-